

thani regionem, tunc sponsio ipsius sit, quam amici paciscantur, quod maritus ejus nullam illi injuriam inferat; et si illa delictum commiserit, quod propinquiores debeant compensare, si illa non habeat unde compenset.

VIII. Nuptiis presbyter intersit; qui de jure cum

A Dei benedictione eorum conjunctionem adunare debet in omni felicitatis plenitudine,

IX. Bonum etiam est cavere, ut sciatur, an non per consanguinitatem conjuncti sint, ne juste postea separentur, qui injuste antea conjuncti erant.

EDGARI REGIS ANGLORUM LEGES ECCLESIASTICÆ

CONCILIUM BRANDAFORDIÆ AB EDGARO REGE CONVOCATUM

IN QUO

Edwini regis decreta rescinduntur, ablata Ecclesiæ restituuntur, et Dunstanus ab exilio revocatur.

Non occurrunt in concilio actorum formulæ: breviter autem sic notantur in antiquitatibus Britannicæ Ecclesiæ, cap. 13: Interea Mercii et Norrenses, ac inter Humbrum et Thamesim mediterranei, in regem Edwinum arma capiunt. A quibus autem hic tumultus motus fuerat, monachi cauti omittunt. In hoc tumultu Edgarus regis frater regi partem obtinet. Hi multis utrinque illatis præliis, regni vires labefactarunt: sed Edgarus tandem potior, convocato ad Brandan fordiam regni concilio, fratris Edwini acta et decreta rescindit, ablatas ecclesiis et monasteriis opes restituit, Dunstanumque ab exilio ad pristinum honorem revocat, deinde ad episcopatum Wigornensem, nolentem, ut aiunt, et volentem promovit, postea ad Londinensem, tandem biennio vix transacto ad Cantuariensem archipræ-

sulatum.

B *Ecclesiam matrem esse et dominam aliarum Ecclesiarum regni sui.*

(Datum anno 959, sed hic occasione superioris concilii collocatum.)

Anno Dominicæ incarnationis 958 [cor. 950]. Ego nempe Edgarus rex Anglorum, divinaque concedente clementia monarchus, regum antiquorum Ethelberti et successorum illius, ac archiepiscoporum Brythwaldi et Athelardi statuta, et privilegia monasteriorum Kancegenum, cum venerabilis archipontificis Dunstani consultu atque concilio, ad maledictionem impiorum raptorum, imo magis Deo favente ad benevolentiam justorumque benedictionem, æterna conclusione renovamus, et in Domino summo roboramus, statuentes.

C *Ut Ecclesia Christi in Dorobernia aliarum Ecclesiarum regni nostri mater sit et domina, et cum suis omnibus perpetualiter sit ubique libera, præter expeditionem, pontis et arcis constructionem.*

EDGARI REGIS CHARTA

DE OSWADESLAU,

Hoc est de ejiciendis clericis uxoratis et introducendis monachis.

(Anno 964.)

Altitonantis Dei largiflua clementia, qui est Rex regum et Dominus dominantium, ego Edgarus Anglorum basileus, omniumque regum insularum Oceani quæ Britanniam circumjaceat, cunctarumque nationum quæ infra eam includuntur, imperator et dominus, gratias ago ipsi Deo omnipotenti regi meo, qui meum imperium sic ampliavit et exaltavit super

D regnum patrum meorum, qui licet monarchiam totius Angliæ adepti sint, a tempore Æstelstani, qui primum regum Anglorum omnes nationes quæ Britanniam incolunt sibi armis subegit, nullus tamen eorum ultra ejus fines imperium suum dilatare aggressus est. Mihi autem concessit propitia divinitas, cum Anglorum imperio omnia regna insularum Ocea-